

CANCELL:  
MARTIS B:  
. 17 17:

oo Dg

38

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup>  
*HISTORICO - PHILOSOPHICA*  
DE  
**ILLIS,**  
**QVI VITÆ TERMINUM**  
A MOSE (P. XC, 10) STATUTUM  
PER VI. ANNOS PROXIME  
ELAPSOS SUPERGRESSI  
SUNT,

*Ovam*  
DEI GRATIA ET SUPERIORUM INDULTU  
IN ACADEMIA LIPSIENSI,  
PRÆSIDE  
**M. CHRISTIANO ALTMANNO,**  
SIEG. LUS.

*Anno 1711, die 30. Sept.*  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
AUTOR ET RESPONDENS  
**JOHANNES ALBINUS HOFFMANNUS, Laub.**  
Med. Stud.

---

LIPSIÆ,  
Literis BRANDENBURGERIANIS.

VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTIS-  
SIMIS, PRUDENTISSIONIS,

DOMINO,

DN. JOHANNI GEORGIO  
KLETTWICHIO,

REI PUPLICÆ LAUB. CONSULI BENE  
MERENTISSIMO ET h.t. REGENTIA TQUE  
SUSCEPTORI SUO EA, QUA DECET, ANIMI  
OBSERVANTIA COLENDO,

NEC NON

DOMINO

DN. IOACH. GUNTHERO,

Reipublicæ Laub. Seniori gravissimo  
& rude donato,


PATRONIS OPTIMIS, MAXIMIS

submisse observandis,

exiguas has studiorum Academicorum primitias  
seu perpetuum amoris & observantie monumentum  
debet, inscribit, consecrat

Autor & Respondens

JOHANNES ALBINUS HOFFMANNUS,  
Laub. Luf. Medic. Stud.



## VIRI AMPLISSIMI,

**S**i munus quereretur, quod condigne gratitudinem meam exprimere, frustra sane ad hanc dissertationem recurrerem, que & ipsa benigne excepta, tot, quibus Vobis obstrictus sum, nominibus accedit, tantum abest, ut aliqua me parte levet debiti, quod eandem fere mecum natusitatis horam agnoscit. Primo enim vita mea exordio TE, PRUDENTISSIME KLETTWICHI, potissimum beatoque M.ANT.GOTTLSANO benignam tam pio & salutari officio operam commodante, in commune Christianorum nomen receptus sum. Creverunt exinde cum annis beneficia, que aequali me nexu utriusque devincent. Et illum quidem placida senectus beata morte exsolvit, subductumque est oculis corpus quidem & gratissimus optimi Viri conspectus: nec tamen vita bene acta gloria, quam non eodem, quo annos spatio

A 2

divi-

divina definivit benignitas. Vivit enim abduc, felicemque verbi divini predicatione in multorum auditorum animos propagavit memoriam. Coeterum quo patientius tantam jacturam ferrem, Klettwichiana & Güntheriana effecit benignitas, qua demortui locum tam dextre supplevit, ut eum fere mihi creptum non senserim. Magnitudinem beneficiorum, que debinc ultra votorum prope modum in me meosque amantissimos Parentes contulisti, Viri faventissimi, silentio melius tegam, quam impari facundia deteram. Parcam ita modestie vestra, que magno animo recte factorum fructum non in fama, sed in conscientia reponere solet. De cetero causas tam audiis consilii, ut VOBIS potissimum primitias studiorum meorum suspenderem, haec tenus obiter perstrinxisse sufficiat. Patimi- ni ergo Viri Consultissimi, Vestra Nomina hisce paginis prefigi, ut que proprio destituuntur splendore, aliquem saltem ex Tantorum Virorum dignitate mutuentur. Accipite porrecto & placido vultu, hoc qualecunque munus, nec quicquam in estimatione ejus, praeter offerenris animum in consilio habeatis. Revocate nobis prisci illius candonis exemplum, qui ne phialam quidem aquae simplici ac pia mente oblatam fastidire sustinuit. Hoc si, ut Vestra fere equanimitas mihi promptum ac obvium fore spondet, consecutus fuero, non est, quod ulterius optem, nisi, ut Vos, Viri Amplissimi, Deus Reipubl. & Vestris, & mihi servet quam diutissime. Valete.

CAPUT

## CAPUT PROOEMIALE.

**N**os, quorum dies auferuntur & quorum anni sunt sicut fabula, stupendam Patriarcharum miramur vivendi diuturnitatem; nam Antediluvianorum ad integrum ferme millenium, Postdiluvianorum ad terminum sexcentorum annorum ex porrigebatur. Subtrahebat autem DEUS finitor paulatim de vita spatiis; Jacobus enim non ad dimidium illius longevitatis accessit, quod ejus testantur verba, cum coram Pharaone de vita brevitate ita questus est: *Dies peregrinationis meæ centum & triginta sunt annorum, iisque parvi, & mali: & non per venerunt usque ad dies patrum meorum*, Gen. XLVII. vers. 9. Et vir DEI Moses ipse quidem ad centum & viginti annos vivens in spatium multo brevius annorum 70.& 80. contraxit, Pl. XC. v. 10. Sed tantum abest, ut homines ultimis his temporibus reservati vitam adeâ producant metam, ut potius plurimi pereant nondum expleto ætatis anno quadragesimo aut quinquagesimo. Cujus βεατυθίτην causæ quænam sint, infra dicendum erit, cum juxta instituti rationem hodiernæ μετελιτην reddituri sumus rationes, nam Relata hæc seu opposita potius juxta se posita se invicem illustrabunt. Nam quamvis hodie paucissimi sanam ac vegetram adipiscantur senectutem; attamen publicæ Novellæ per aliquot annorum decursum nos docuerunt, quosdam utriusque sexus ad annos plus quam octoginta durare atq; sic vita terminum a Mose statutum vivendo superare. Proinde opera premium esse duximus Tecum L. B. exempla, quæ collegimus,

communicare atque ut hujus rei publicum prostet documentum historicum, contexere catalogum Macrobiorum sub initium hujus seculi illustrium: ex eo enim cognosces, Viros, Mulieres, virgines &c, ad unum omnes transgressos esse terminum Mosis solennem & extremum. Et ut Tibi eo gratius fuerit nostrum in colligendis longævis studium, insimulations, ob quas vitam longiorem extrema per omnia duxerint, inquisivimus suppeditantes longævitatis promovenda fundamenta & adminicula, ne ad eam attingendam pluribus præcludatur aditus. Igitur æqui bonique speramus, consules conatus nostros quos vel ideo a TE approbatum iri confidimus, quoniam in primo currentis seculi decennio, quantum comperire licuit, nemo catalogo Macrobiorum continuando & augendo suam commodavit operam. Inter vetustiores in hoc argumento occupatos novimus Lucianum Samosatensem in peculiari tractatu *Tav μακροβιών*, Herodotum & ipsum Aristotelem in libello integro *περὶ μακροβιῶν καὶ ἔργων τόπων*, de longævitate & vita brevitate. Magnum longævorum & quidem eruditorum numerum exhibit Wittenius in Diario Biographicō & duæ prostant Dissertationes M. Johannis Möebii de Grandævis, Lipsiæ Anno 1689. habitæ. Ad eruditos tantum & Medicos quidem si respicis, 76. *μακροβίοις* collectos invenies, in eruditissima Experientissimi Dn. Joh. Jacobi Beieri, Phil. & Med. D. & Prof. P. Altdorffii Dissertatione Epistolari 1705, ad Brunonem scripta. Ab hoc autem anno nullam longævorum neque Medicorum collectionem institutam fuisse pro comperto habemus: adeoque id nobis datum negotii putamus, ut quæ nos annotaverimus, non sub-

supprimamus, sed publici juris & usus faciamus, atque causas hodiernæ longævitatis indagandas suscipiamus. Novum igitur vel inauditum non est agere de Macrobiis, neque scribere de vita longa, siquidem id satis prolixè præstiterunt, D. Georgius Wolfgang Wedelius, D. Jo. Gothofredus Bergerus, Theodorus Zwingerus, de senectute Alberti quidam vetustiores & alii, quos autem videndi nobis nulla fuit copia. Interim ut nobis placuerit quædam commentari de longavis hujus. Seculi vel de illis, qui vitæ terminum a Moysi ( Psalm. XC, vers. 10. ) statutum per VI. annos proxime, elapsos supergressi sunt, sequentes effecerunt rationes. Primo exempla sunt recentissima, atque nondum in publico scripto ad futuros usus collecta & notata; Secundo rationes sunt accommodatæ ad tempora hodierna, & quæstionem sæpius agitamat, cur hodie tam breveni vivant vitam homines? Tertio videtur res proxima miraculo, si quis illæsa valetudine perveniat ad annum centesimum cum hodienum multo brevior vitæ terminus constitutus videatur, plurimis vix annum quinquagesimum vivendo impletibus. Longa vita est amasia, inquit Wedelius, universalis, quam omnes depereunt, pauci assequuntur, licet cana Senectus nihil aliud sit, quam morbus & quotidiana velut mors, quia homo natura quasi abhorret dissolutionem & mortem imminentem, timet ut τῶν φοβερῶν φοβερῶν terribilem teiribilissimum.

Cœterum variae circa terminum vitæ quem quidam supergresi sunt, moveri possunt quæstiones, de vitæ termino fatali & mobili. Sed in hac ardua, difficillima & obscurissima materia, in qua præclarissima ingenia, omni cœcuti-

re tempore sibi sunt visa, nec, qua se expedirent, viam, reperi potuerunt, cum *Hüfemanno* & *Scherzero* laudanda est opera & eruditissima disquisitio D. Dan. Heinrici, S. S. Theol. Prof. Primarii, in nostra Philurea in libello theologico de vita humanæ terminoadversus variorum Heterodoxorum Matæologias instituta, Et quemadmodum elegansissimus hic tractatus supra nostram laudem positus est: ita quoque non minoris pretii atque digna sunt ut commendentur, quæ annexa vides tractatui Henriciano in Editione quam Anno 1691. *Hieronymus Dicelius Mathemat. Prof. P. Extraordin. in nostra Academia* adornavit, nimirum similis argumenti scripta ut *Hunnii Majoris*, *Menzerti*, *Feurbornii*, & *Baieri*. Pro nostri instituti ratione cum B. Henrico statuimus; terminum vitæ h. e. uniuersusque vitæ ultimum diem & horam, quam vivendo attigerunt ii, qui octogenarii facti sunt majores, fuisse mobilem & potuisse omnino prolongari & iterum abbreviari, nam sua virtute & mediis legitime adhibitis v. g. precibus, pœnitentia, pietate, medicamentis, & tempore famis, belli & pestis ingruntis fuga, aliisque rationibus producere, vel vitiis suis aducere & accelerare eum potuerunt. Simili ratione exinde palpabile est, qui ad Senectutem tam venerandam non per venerunt, vitæ suæ terminum potuisse abbreviare, & prolongare. Sed ut accurato deletemur ordine, in Cap. 3. causas brevioris & longioris vitæ enucleabimus, ut primo obtutu incurant in oculos B. L. qui procul dubio ex his præmissis scopum & mentem nostram perspicere poteris: Quod reliquum est, nos tuo Favori semper habeas quam commendatissimos, qui, ut animi ac corporis felicitate, sine termino tum in hac, tum altera gaudeas vita, cordicitus divinum numen imploramus.

CAP.

## CAP. HISTORICUM.

### Sectio I.

De

### Senibus Viris.

#### §. I.

**I**N recensend's hujus Seculi Macrobiis duas constituamus Sectiones, quarum prima commemorat exempla virorum si-  
ve fuerint uxorati, sive non, altera conjugum & virginum, id  
quod juxta seriem annorum, prout ex publicis Novellis a  
nobis fuerunt collecta, expediemus.

#### §. II.

Anno 1705. die 21. Aug. scribebatur *Londino*, produ-  
ctum *Salisbury* fuisse in causa quadam forensi testem, qui  
tunc temporis egisset *annum centesimum & decimum quintum*,  
cujus memoria Regina Elisabetha & Rex Jacobus nondum  
excidissent, quemque avum veneraretur mulier sexaginta an-  
norum. Vide *Nov. Norimb. Num. 2. Donnerst gigen Friedens-*  
*Cavilie die 3. Sept. 1705.* item *Zwingeri Disserit. de longevitate pag.*  
44. Hujus autem viri diem emortualem experiri non licuit.

#### §. III.

Eodem anno nunciabatur ex *Scotia*, in parte hujus  
Regni Septentrionali diem supremum obiisse quendam Nobis-  
lein anno *etatis* *tuncimo quadragesimo*, neque per  
omnes vit  dies in ullum prolapsum fuisse morborum genus.  
vid. *Novellas Jen. 1705. d. 10. Decembr.*

#### §. IV.

Anno hujus Seculi sexto referebant liter  Pomeranice Tre-  
besi script , accessisse ibidem ex *Ducatu Megapolitano* mi-  
litem gregariam decrepit  *etatis*, qui paulo post vita ad an-

B

num

num centesimum & octavum producta excessisset. vid. Relation.  
Jan. 1706. die 25. Martii.

## §. V.

Annus Seculi septimus & octavus nulla virorum se-  
num seppereditabat exempla, sed fœcundior erat nonus ; octo  
enim nobis sunt in promptu, qui metam ætatis Molaiacam non  
tantum attigere, sed & transcedere, v.g. Própe Lutet. París.

1.) Rusticus quidam	—	109
2.) Bruxellis Dn. Albert de Coxie , Baro de Morselle , summus Prae- fes in Senatu Brab.	—	86
3.) Vilette prope S Seyne sartor, cui nomen Johann Curierius	—	116
4.) Parisiis ex ordine Lojolitarum <i>Chaise</i> , qui Regi Galliae a concio- nibus fuit	—	83 annos natus di-
5.) Arrebati Dn. Job de Ambrine nul- lo morbo in vita vexatus	—	108 ñem obit supre- mum.
6.) Tutelæ (Tull) in Gallia Dn. Gilles de la Baunze le Blanc, Episcopus Man- netensis	—	93
7.) Minister Ecclesæ Sasavilensis in Normannia	—	115
8.) Tolosæ Baylins, Doctor Med. & Prof. ibidem celeerrimus	—	86
Vid. Nov. Lipsiens. hujus anni.		

## §. VI.

Anno subseguente nimirum 10. mense Aprili Comes d' Ambarede, summus belli Dux Praefectusque Selinis in comitatu Burgundiæ, quem Galli Franche Comte dicunt, datus anno ætatis suæ nonagesimo communi mortalium forte fuit ex hac vita eruptus.

## §. VII.

Eodem anno ad nos Parisiis fama pervolavit, signifi-  
cans

cans, variis in locis brevi tempore quinque personas morte esse extintas, inter quas *prima centesimum primum, secunda 104, tercia 105, quarta 110, & quinta 111.* annum affectuta fu-  
erit. Vid. Relat. Hallenses No. XLIII. p. 165. d. 10. April. 1710.

§. VIII.

Mense Aug. vir quidam in Scotia natus, cui nomen est *Thomas Vrylant*, mortuus est, qui ætatem ad 114. usque produxit, sub Elisabethæ Angliæ Reginæ omni etate ac memoriæ clarissimæ, auspiciis militiæ nomen dedit. Sylvæducis, reli-  
ctis Anglorum & Batavorum castris per longum temporis in-  
tervallum fixam sedem habuit.

§. IX.

Decem uxores matrimoniosibi habuisse adjunctas successu  
temporis, est res monumentis Historiarum dignissima. Conti-  
gisse hoc rustico in agro *Avaricensi* degenti Relationes fideibon-  
æ nos iterum edocuere. Ultimam vix anno decimo octavo  
egressam in adjutorium mutuum recepit 99. jam annum ætatis  
agens, exque illa, exactis post nuptias duobus annis, filium  
genuit. *Abiit hac vita anno centesimo decimo.*

§. X.

Nulla oblivio laudes atque merita *Baronis de Spanheim*  
obliterabit, cuius mortem Aula Borussica adhuc graviter do-  
let, quæ incidebat in tempora, quibus Londini legatum age-  
bat, cum vix annum lux ætatis *octogesimum secundum* egressus  
esset. Vid. Neue Hällische Bibliothec XI. Stücke.

§. XI

In *Vinariensi* mortuorum indice de anno 1710. conscri-  
pto, 59. personas, quarum ætas intra *octogesimum & nonagesi-  
mum, & 34.* quarum ætas intra *nonagesimum & centesimum annum* te-  
terminavit, virumque 104. annorum numerarunt atque no-  
tarunt.

§. XII.

Annus 11. cuius jam tertiam DEi gratia attigimus par-  
tem, itidem viros quosdam terminum Mosaicum excedentes

B 2

ex.

exhibuit; ita die 27. Jan. *Clementie* decessit *Albertus Blan* vir natione Scotus, Anno 1599. non procul *Edimburgo* natus, cuius vita 112. annos implevit, quanquam prima ejus ætas laboribus militaribus, periculis variisque casibus varie jaætata atque agitata fuerit.

§. XIII.

Die 18. Febr. *Cadomi* (*Caen*) urbe in *Provincia Normania* satis celebri, nobilis *Henricus Boucher de Verdun*, infelici quodam casu abreptus, *centum & quindecim annos* in hac misericordiarum valle commoratus, naturæ debita reddidit. Tam vegetam, natura indulgentem, habuit corporis constitutionem, ut per omnem vitam omnis morbi fuerit expers & procul dubio nondum finiisset, nisi singularis casus terminum vitæ opinione citius abbreviasset. Vid. *Extraictum Lipsiense. XI. Sept. p. 43.*

§. XIV.

Mensis Aprilis die 3. literæ *Parisie* transmissæ nobis referabant Regem Galliæ tempus, quo Passionem & Resurrectionem Christi pia recolimus memoria, solennibus devotis pro more a Majoribus accepto confecisse. Inter hæc præcipua erant, quod 12. viros pauperrimæ fortis delegerit, eorum pedes lavaverit, iis in mensa ministraverit & singulis nova veste circumdati decem nummos aureos, Gallis *Louis d'Or* dictis, dono obtulerit. Horum virorum ætati si addendo calculum ponere velimus, *annum millesimum vigesimum secundum* æquasse referabant, ex quo mathematice concludimus, fuisse inter eos omnino, qui terminum a Mose indigitatum superarunt.

§. XV.

Ejusdem Mensis 19 die *Regiomonti* vir quidam, cui nomen fuit *Barthol. Schulzii* mortuus est, qui hujus mundi lucem vidit 1598. d. 29. Aug. ex quo patet, eum annos 112., Menses 8. si paucos excipias dies vixisse, & quidem in tribus seculis.

§. XVI.

Hoc anno Mense Mayo *Beroline* summus militiæ Praefe-

fecitus de Flemming octoginta & duobus annis gravis , mortuus est, quemadmodum superioris Seculi anno 95. quarto Februarii, in eodem foro militari famigeratissimus *Baro de Dörffling*, Cam-  
pi Marechallus apud Elect. Brandenburgicum longe meritissi-  
mus, centum & quinque annos natus supremum obiit diem.

## §. XVII.

*Vienna accepimus, quod eodem anno die 25. Maji Adam Anton. Grundemann de Falckenberg, qui Josepho I. gloriofissimæ memoriarum Imperatori ab intimis consiliis fuit, anno ætatis octogesimo septimo, & Romæ d. 8. Junii Cardin. Alex. Caprara Bononiensis a Clemente XI. fasces adhuc Papales tenente ad hanc dignitatem elevatus octogesimo quinto fatis fuerint defuncti.*

## §. XVIII.

Sed hos ætate superavit Eques Anglicus *Hungerford*, qui Mense Julio elapsis 92. iuxæ ætatis annis Londini mortuus est, ut & Venetus ille Consul *Smirna*, qui 118. annum agens fato mortalitatis communi defunctus est. Octoginta liberos e duplice matrimonio sustulit, inter quos duo filii adhuc sunt superstites, alter 81. alter 80 annorum.

## §. XIX.

Hoc ipso die, quo hæc scribimus, facti sumus certiores per publicas *Lipsiensium Novellas Germanicas Membr. II. Sept. XXIX. p. 606.* Episcopum Parentensem (zu Parenz) Dn. *Alexandrum Adlaßium* occubuisse anno ætatis 82. Tot virorum tum uxoratorum, tum in cœlibatu defunctorum exempla Tibi L.B. exhibuiisse sufficiat. Ubi nulla vides allegata, desumpta fuerunt ex Novellis Lipsiensibus fide, quæ ipsis habeatur, dignissimis. Adeoque progreedi licebit ad

## Sect. II.

*De*

## Senibus Uxoribus &amp; Virginibus,

§. I.

**N**ec fœminis natura benignior vita longævitatem dene-  
gavit, id quod exempla hinc inde collecta satis dant e-  
videntum, quæ secundum ordinem annorum recensere i-  
terum consultum ducimus. In Comitatu Hannovienſi pagus, quem  
incolæ Wachenbuchen vocant, haud est ignotus, in hoc Luctia  
Oſfeldina vita ſuæ tempus ad 107. annum, 1. Mens. arg. 2. dies usq; exten-  
dit, ut adeo tres Imperatores, qui ſe invicem per ordinem  
ſuccesionis fecuti ſunt, viderit, inque tribus ſeculis vixerit.  
Hanc enim in lucem edita eſt Anno 1594. die 1. Dec. Moſaci  
urbe in Epifcopatu Leodiensi ſita, & mortua Anno 1701. die  
15. Jan. in pago dicto.

§. II.

Anno 1703. d. 10. Martii Hamburgiſes literæ nos certi-  
ores faciebant, fœminam quandam debita funeris pompa Ham-  
burgi elatam fuīſſe, cum 106. annos vixiſſet.

§. III.

Duo ſunt matrimonia, quæ in recenſione noſtra o-  
mnino notatu digna cenſemus. Scilicet in agro Strichavienſi  
(ut Buda accepiſimus) duo conjuget intra quinque diērum interval-  
lum, mortalem hanc conditionem cum immortalitate commu-  
tarunt, per 80. annos, & quod excurrit, unius matrimonii vi-  
nculo alligati, uxor annum 120. ac 1. Mensem & maritus 100. ac 2. Men-  
ſes felici pede tranſcenderant.

§. IV.

Huic non tam comparandum, ſed omnino præferen-  
dum eſt illud, in quo conjuget pagana fortis per 89. annos in  
ſumma tranquillitate, liberis tamen deſtituti vixerunt, ita ut vir-

121.

121. mulier vero  $114.$  annis gravis in pago *Fresne* di $\delta$ lo, quatuorque millaria *Compendio* (*Compiegne* in *Isle d'France*) distante via tandem excesserit.

## §. V.

Cum Carolus XII. Rex Sveciæ *Lipſiam* 1706. transiret, ibique comimoraretur, illi annus quædam  $90.$  annorum piseem cyprinum & placentam in gratæ mentis tesseram quasi offerebat afferens, *Gustavum Adolphum* ingruente annonæ illi subsidiis, quæ ad vietum pertinent, benigne prospexit. Hoc factum Rex, donatis illi aliquot aureis nummis, non tantum approbavit, sed etiam admiratus est.

## §. VI.

Inter homines, quorum corpora elapsi totius anni 1708. spatio *Viennæ* sepulturæ mandata fuerant, imprimis duæ foeminae notabantur, altera *centesimum annum*, altera *centesimum nonum* felici fidere egressa erat, sicut superioris Seculi a<sup>o</sup>. 98. moriebatur foemina, cum jam  $120.$  ætatis suæ annos attigisset, & quæ famigeratissimo Mathematicorum Principi *Tychoni de Brahe* mercede conducta ancillaria servitia in œconomicis præstisile dicebatur.

## §. VII.

Anno 1709. Mense Jan. in Provincia *Lugdunensi Gallorum* foemina, cuius nomen erat *Croix*, annos  $113.$  nata cum vita mortem commutaverat.

## §. VIII.

Eodem anno *Parisis* annus *annum centesimum secundum* complevit. Et die  $13.$  Nov. hujus anni *Bruxellis* nobilis foemina *de Berlo* ejusdem ætatis fato suo defuncta est. In *Londinenſi* vero Xenodochio senex vir *centum & septem annis* jam conspicuus vita obiit, conjugé, quæ ad annum *centesimum* eo tempore jam pervenerat, relicta.

## §. IX.

Anno 1710. Mense Jan. in pago *Chain* appellato, qui  
4. Mil-

4. Millaria Bruxellis distat, foemina *Jeanne del Fosse Gallico* idiomate dicta annum aetatis suae centesimum quartum agens communis mortalitatis fato cessit, postquam ex suo nepotumque suorum matrimonio 47. filios filiasque supervixit.

## §. X.

Supervixit vero 13. conjugii sui pignora & 147. nepotes atq; pronenepotes *Barbara Barmanniana*, quæ annum centesimum septimum & quod excurrit transgressa, *Baucharie* prope *Francofurtum* naturali fatorum conditione erepta fuit. Et quod admiratione dignum ad finem usquevitæ suæ ultimæ mentis atque sensuum integrum servasse dicitur. Eodem hujus 1710. anni decurso *Vienne* obierunt *ogenariis* majores 59. homines, *nonagenariis* superiores 34. qui omnes & *βασιλίστρος* & *Mosis* terminum vivendo transgressi sunt.

## §. XI.

Anno, ad cuius terminum & finem nos properamus, *Mense Februario*, Foemina aulica *Couper* dicta *Londini* mulierem 128. annum egressam ex *Xenodochio*, in quo ob duriora paupertatis fata degebat, in regium conclave perducendam curavit. Licet igitur foemina tanta laboraret senectute, cum Regina tamen varios sermones perspicue, distincte & ornata texuit. Abitura Regina nummos quinque, quos Angli *Guineas* vocant, dono offerri jussit.

## §. XII.

*Luter. Parisiorum* die 31. Aug currentis anni retulerunt Novellæ Gallicæ, morbillos infantum continuo adhuc sive *Fontis bella quei*, quo malo quoque jam implicita esset *Scuderia*, nobilis matrona & soror eruditæ illius *Scuderie* quanquam jam adolevisset ad aetatem 89. annorum Vid. *Nov. Lips. Lat. ad hunc annum ordin. XXXVIII. Membr. I. p. 294. & 295. it.* obitum ejus 300.

## §. XIII.

Viros atque foeminas in nostra tractatione excipiunt *Virgines*. Inter has merito optimoque iure referimus, quæ anno

anno 1708. die 9. Sept. S. Vigneroni mortem oppetiit supremam annos centum & decim agens; nec ulla morbi vi usque ad annum 93. correpta. Lectu sane est dignum Epitaphium, quod illi ingeniosum caput in memoriam serae posteritatis ponere voluit, sequenti ordine conceptum.

*Siste gradum, quisquis transis hac via via, viator,  
Virgo sub hac tumuli mole quiescit annus.  
Centenos denosque procul mane vixit ad annos,  
Res apud innumeros vix habitura fidem.  
Tale prudicie specimen vix prima dedere  
Tempora, nec certe posteriora dabunt.  
Non manet in canos laus hac nostratis istos  
Rarior hac evo virginitatis honor.*

## S. XIV.

Cum lequenti anno die 24. Martii Aula Imperatoria, quæ Vienne regnat, prò more solito, vigoreque Pontificia religionis, certam pauperum multitudinem tanto exciperet convivio, ministeriisque vix ab dominibus viliq[ue]ris fortis expectandis honoraret inter sexum sequiorem, qui Imperatricis munificentia fruebatur, virgo virgine mox notata tribus annis major reperiebatur adeoque vitam producens ad 113. annos.

## S. XV.

Hujus si annum addas, lateri merito adjungimus, quam inter 4742. homines, qui per totum sequentis anni spatium Vienne inque ejus suburbio vita excesserant, numerabant & mortuam demum referebant anno ætatis centesimo decimo quarto. Plura exempla futura dabit ætas & ut TuL. B. in longius provehas vitam, in præsentiarum longævitatis dabimus rationes, modum insimul sanam ac vegetam senectutem adipiscendi demonstrari.

C

CAP.

## CAPUT PHILOSOPHICUM.

### §. I.

**M**orientur infantes puerique multi, moriuntur adulati & viri quam plurimi, pauciores attingunt senectutem vegetam ac alacrem, sed matura obiunt morte tum plebeji tum nobilioris sortis homines, quoniam plurimos diæta quotidie committunt errores, suorumque corporum debilitant vires & ad vitales motus diutissime fervandos ineptas reddunt, suo vivunt genio, impia vivendi consuetudine, negligentiore a puero educatione, effreni libidine, præsentis Seculi ingluvie, gula, crapula, luxu & insalubris aeris continuo usu vita terminum arcessunt.

### §. II.

Longævos tamen adhuc hodie subinde videmus talesque omnino, qui ordinarium & maximè communem hodiernæ vitæ terminum excedunt, quanquam ab illa primævorum Patrum vivacitate longissime distiti sunt, quippe qui ob decretum & beneplacitum DÆ sapientissimi, propter religionem per traditionem oralem propagandam, propter ipsorum constitutionem admodum firmam & soliditatem in partibus corporis atque simplicem insuper vivendi rationem diætamque cum perpetuo salubrium aquarum potu per omnia exactam ad numerum ferme millenarium produxerunt vitam.

### §. III.

Nos pro ratione instituti in apricum producentes causas hodierna longavitatis, quam affecuti sunt illi, quos supergressos dicimus terminum Mosaicum, duas movebimus quæstiones quarum prima est:

*Quare illi ad tantum annorum numerum pervenerint?*  
altera autem:

*Quomodo & alii ad bonam & supremam pertingere possint senectutem?*

### §. IV.

## §. IV.

Ad primam quod attinet, eisdem fatemur, nos scire oportere integrum illorum Grandiorum vitæ curriculum, ex quo sane magna speranda esset evidētia & certitudo: ast cum præter ipsorum mortem nihil relatum legerimus, sequens suscitie: causarum apparatus.

## §. V.

Singulariterenæ felicitatis species est cana & sana senectus, quam a nemine nisi a liberrima DEi creatoris voluntate, admiranda ejus bonitate & sapientissima providentia expectare velis: adeoque longævitatis-causalam efficientem principalem DEum esse, omnes largientur, quippe qui piis hominibus diuturnam vitam passim in Scriptura Sacra promisit, v. g. Exod. XX, 12. Deut. IV, 40. Deut. XXX, 16. Psalm. XC, 16. Et in nostris Macrobiis eam divinam promissionem impletam fuisse, loquitur ipsa experientia.

## §. VI.

Juxta ineffabilem DEi clementiam vivacitatis & longævitatis causalrum numerum auget pia, & religiosa vita, quoniam facit pietas & diligens legum divinarum observatio, ut a Diætæ erroribus abstineamus atque vitam sobriam, mansuetam forteque nostra contentam agendo a morbosis insultibus tuti semper maneamus.

## §. VII.

Haud rara quoque est causa illibata Parentum sanitatis ac robur, & exinde redundans firmior corporis constitutio. Quales enim Parentes, tales liberi, vivaces descendant & vivacib[us]. Si sane fuerunt pater & mater gigantes; Si robusti & vegeti, jure quasi hæreditario vitæ longioris breviorisque semina in posteros transferuntur & seram admodum senectutem expectare possunt, modo laudabilem quoque Diætam obseruent. Inde fit, ut integræ quædam familiæ tanto naturæ ro-

bore gaudeant, ut plerique in illis diu vivant & ad bonam se-  
nctutem perveniant, dummodo non prava Diæta robur in-  
natæ cræsos supprimatur vitaque filium intempestive abrum-  
patur.

## §. VIII.

Communi enim Sapientum suffragio Diæta erro-  
res evitando & simpliciori ratione victitando mirum quantum  
ad vitæ longævitatem contribuitur. Itaque principalis vitæ  
longæ causa exæcta Diæta, quæ non solum in cibo & pôtu,  
sed & in moderamine Passionum animi observanda venit. Mul-  
ti perierunt gula & crapula, qui autem temperanter vivunt,  
ad magnam ætatem adscendunt. Et quemadmodum pauci i-  
racundi, venerei, hujusque mundi voluptatibus nimis dediti  
bonam senectutem consequuntur: ita diutissime omnium vi-  
vere obseruantur, qui placidam semper mentem habent, ira  
vehementi nunquam excandescunt, tristitia & mœrore non  
anguntur, quibuscque adeo res hujus mundi, qualescunque  
indifferentes existunt.

## §. IX.

Ut igitur sanitatis studiosus ad has illasve Passiones non  
facile commoveatur, præcedere debet *provida* & *circumspe-  
cta educatio*, ut mature discant liberi evitare longævitati &  
sanitati nocentia, & adhibere adjuvantia & conservantia.

## §. X.

Infimum inter causas vitæ prærogandæ locum non oc-  
cupat *aeris vis atque tempesties*, propter quam integræ etiam  
gentes non incongrue creduntur esse alii vivaciores, quoniam  
aerem universi dormientes ac vigilantes ore naribusque con-  
tinuo perennique haustu ad intimos corporis recessus attrahunt,  
isque nostrâ corpora ambit & afficit. Unus autem aer  
altero aptior est ad conservandum diutius motum humorum  
vitalem. Hinc Clima unum altero salubrius: Regio una al-  
tera sa'ubrior notata est ab Historicis. Interim tamen in plu-  
rimis

rimis regionibus adhuc hodie inveniri longævos , nostramentur adducta exempla.

## §. XI.

Quoniam vita est caduca & semper aliquid decedit, insignis conservandæ & prorogandæ vitæ causa est *tum alimen-tum ipsum*, quod quo familiarius ac Substantiæ nostræ similitudine propensius est, eo ad reparandam iacturam adeoque ad vitæ tutelam accommodatius est, *tum ejus tempestiva & modica as-sumitio*: potus enim & cibis temperatus ac complexioni nostræ conveniens esse debet.

## §. XII.

Et ut paucis multa comprehendamus, incolumem sa-ne diu conservant corporis constitutionem 6. Res non natu-rales , quæ opportune adhibitæ maximum pondus habent in sanitatis vitæque diuturnæ conservatione, sinistre vero , im-modeste ac perperam, eandem necessario alterant & immu-tant, sanitatemque destruant.

## §. XIII.

Longe diutius igitur vitam suam protrahent, qui sibi commendatam habent *Temperantiam* & *prudens*, aliquod moderamen in assumendo cibo & potu, in instituendo motu & appetenda quiete, in capiendo somno, in promovendis excretionibus, in captanda aeris salubritate & coercendis Af-fectibus amoris & iræ. His rebus bene constitutis ad supre-mam sane & vegetam senectutem durabit temperantia Stu-diosus.

## §. XIV.

Tandem non omnis in vita prolonganda *efficacia* dene-ganda est Medicamentis, quoniam experientia docet, posse per ea sanitatem amissam restituiri & restitutam conservari ac in-longius provehi.

## §. XV.

Genuinis Sanitatis & longævitatis causis annumerari

quoque posse existimamus electum vite genus & muneris sui functionem; quemadmodum enim in genere labor vel celerius vel tardius vita cursum abrumpit: ita dantur quædam vivendi rationes mortem opinione citius accelerantes & longevitatem impeditives v. g. belligerantium, navigantium aliorumque conditio & status, quippe qui quotidianis fere obnoxii sunt vita periculis.

## §. XVI.

Multum quoque exercitiis corporis hoc in negotio tribuendum esse, quidam contendunt, quoniam iis languis corroboratur spiritus vitales dilatantur & quæ nocitura sentiunt vitam sub umbra agentes, feliciter evitantur: nam vita sedentaria & otio dedita interno calori decrementum conciliat, membrisque languorem inducit.

## §. XVII.

Et cum vel nullum vel moderatius Veneris exercitium corporis robur integrum servet, excessus autem & perdita voluptatum libido spiritus vitales faciat dissolutos & minus durabiles, forte non incongrua esset ratio, cur homines in cœlibatu degentes ad bonam senectutem vivaces & vegetiperverint. Ast accuratius de hac re judicent alii.

## §. XVIII.

Has interim veras longevitatis esse causas atque iatis responsum ad quæstionem I. autumamus. Neque dubium est ullum, quin individua singula in nostra dissertatione adducta has in vita cursu ultra Molis terminum protracto sedulo observaverint & tanquam præstantissima adipiscendi sanam ac vegetam senectutem adminicula adhibuerint. Ad minimum videtur certissimum, quod abstinuerint a nimio veneris usu, nam præ alijs causis inimicis creditur Medicis vita filum decurtare nervos scilicet enervando, vires infringendo ac resolvendo. Satis probabile est, quod gulam ac ingluviem perniciosissimam & pestiferam insito calorj furias introducentem, quantum fieri potuit.

de-

devitaverint, quod autem hominibus hodierni seculi non frequens & solenne est, ac eo ipso vix ad *quinquagesimum* annum vivunt. Nos nunc ad alteram excutendam questionem calamum promovemus dicentes: *quomodo & alii ad supremam pervenire possint senectudem?*

## §. XIX.

Sunt homines vita avidissimi & quæ futura videntur valitudini, sectantur quam maxime; interim tamen per quæ vivere possint & scire & agere sepe numero negligunt ac juxta sententiam *Sturmii* eò modo, quem laudatus Vir in *Physica electiva* p. m. 865, & seq. describit, Propria facta sunt.

## §. XX.

Tu autem L.B. sciendi cupidus modum, secundum quem vitam diu sanam agere & vires corporis ac animi usque ad obitum integras habere posis, quæ salutaria nobis suppeditantur consilia in Scholis medicis avide procul dubio amplecteris. Nobis itaque leuentia videntur valetudini lucrofa. Scilicet operam dare debes, ut quoad fieri potest, in *aere puro*, & temperato vivas, quod is non modo nos arabit, sed & undique penetrat ac perspirationem corporis varie moderatur. Dein non nisi *fame* admonente *assumas alimenta*, quia sic consecutum cibum & eodem jam vacuura esse ventriculum, deprehendimus. In capiendo cibo *eligendum est simplex* ceu homini ultissimus, qui dentibus, antequam deglutiatur, probe commolendus est, ne minus masticatus cibus ad ventriculum provolutus eundem gravius afficiat, minus dissolvatur & cruditates pariat. *Habenda quoque est ratio quantitatis cibi*, ut ea capiatur mensura, quam natura recte & sine molestia confidere ac Transpirationem emittere possit. Qui vero ad satietatem & faslidium usque cibosingerunt, hi eruditates & morborum sibi causas ferunt. Neque ultra sedandam suum assumi debet superflua potus quantitas. Deinde non intermittenda sunt corporis exercitationes, quibus vires mirifice augentur, & tandem conjungenda est letitia mentis cum

cum imperio affectuum, quæ bene agendo acquiritur. Harum observatione rerum mens sana in corpore lano & conjunctio utriusque ac consensio manebit inviolata. Nos ad finem prope rantesut, L.B. viridem ac vegetam senectutem consequaris, si termino Mysis es proximus, eum superes & superatum in longius producas atque sic extrema senectus non fiat imbecillior quam fuit adolescentia, benignissimum Numen, quibus possumus, precibus imploramus, cui nunc dicimus honorem, Laudem & Gloriam per omnia secula.

Amen.

### COROLLARIA.


- I. **F**alsa est Paracelsi opinio: vivere quenquam potuisse usque ad renovationem Seculi.
- II. Neque naturali lege annos tantum centum vivunt homines, sed ultra & infra hunc terminum vitam absolvunt.
- III. Influxus siderum non causari potest præmaturam hominis mortem, neque supremam parere senectutem.
- IV. Non quidem datur *αθανατιας Φαρανον.*
- V. Interim circumspectus 6. Rerum non-naturalium usus (coeteris paribus) ad canam Senectutem hominem producere potest.
- VI. Adeoque plures, si vellent, fieri possent octogenarii, Nonagenarii & Centenarii.

99 A 6989



56,

Retro ✓



DISSERTATIO  
HISTORICO - PHILOSOPHICA  
DE  
**ILLIS,**  
**QVI VITÆ TERMINUM**  
A MOSE (P<sup>L</sup>X, C, IO) STATUTUM  
PER VI. ANNOS PROXIME  
ELAPSOS SUPERGRESSI  
SUNT,  
*Oram*  
DEI GRATIA ET SUPERIORUM INDULTU  
IN ACADEMIA LIPSIENSI,  
*PRAESIDE*  
**M. CHRISTIANO ALTMANNO,**  
SIEG. LUS.  
*Anno 1711. die 30. Sept.*  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
AUTOR ET RESPONDENS  
**JOHANNES ALBINUS HOFFMANNUS, Laub.**  
Med. Stud.

---

**LIPSIÆ,**  
Literis BRANDENBURGERIANIS.

